

À rendre avant le mardi 22 septembre (casier au DSA)

### Version latine n°1 : la « question » philosophique

[Zeno Eleates,] cum esset in dispicienda rerum natura maximaे prudentiae inque excitandis ad uigorem iuuenum animis promptissimus, praeceptorum fidem exemplo uirtutis suae publicauit. Patriam enim egressus, in qua frui secura libertate poterat, Agrigentum miserabili seruitute obrutum petiit, tanta fiducia ingenii ac morum suorum fretus, ut sperauerit et tyranno et Phalari\* uaesanae mentis feritatem a se deripi posse. Postquam deinde apud illum plus consuetudinem dominationis quam consilii salubritatem ualere animaduertit, nobilissimos eius ciuitatis adulescentes cupiditate liberandae patriae inflammauit. Cuius rei cum indicium ad tyrannum manasset, conuocato in forum populo torquere eum uario cruciatus genere coepit subinde quaerens quosnam consilii participes haberet. At ille neque eorum quemquam nominauit et proximum quemque ac fidissimum tyranno suspectum reddidit, increpitansque Agrigentinis ignauiam ac timiditatem effecit ut subito mentis impulsu concitati Phalarim lapidibus prosternerent. [...]

Eiusdem nominis philosophus, cum a Nearcho tyranno, de cuius nece consilium inierat, torqueretur supplicii pariter atque indicandorum gratia consciorum, doloris uictor, sed ultionis cupidus, esse dixit quod secreto audire eum admodum expediret, laxatoque eculeo, postquam insidiis opportunum animaduertit, aurem eius morsu corripuit nec ante dimisit quam et ipse uita et ille parte corporis priuaretur.

Talis patientiae aemulus Anaxarchus, cum a tyranno Cypriorum Nicocreonte torqueretur nec ulla ui inhiberi posset quo minus eum amarissimorum maledictorum uerberibus inuicem ipse torqueret, ad ultimum amputationem linguae minitanti : « Non erit, inquit, effeminate adulescens, haec quoque pars corporis mei tuae dicionis » protinusque dentibus abscisam et commanducatam linguam in os eius ira patens expuit. Multorum aures illa lingua et in primis Alexandri regis admiratione sui adtonitas habuerat [...] ; paene tamen occidit gloriosius quam uiguit, quia [...] Anaxarchi non uitam modo deseruit, sed mortem reddidit clariorem.

Valère Maxime

\*Les expressions *tyranno* et *Phalari* renvoient à une seule et même personne.